

so dixit (Cant. 3): *Ego sum flos campi*, praeterquam communis est Patrum intelligentia, clare liquet ex Paraphrase Chaldaeo (in e. 1. Isai.), qui cum locum verit in hunc modum: *Egrēdiatur rex de filiis Isae, et Christus de filiis florum eius ungetur*. Unde divus Hieronymus ex hoc loco explicat verba illa Matthaei (cap. 2): *Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam: Quoniam nazaraeus vocabitur*, quae verba nulli reperiantur; ipse autem dicit, haec esse, quia legit, et *nazaraeus de radice eius conserget*: nazaraeus enim idem est, quod floridus. Alii ex hebraeo vertunt: *ex radice eius conserget separatus, aut custos*; quae recte Christo congruat, cum ipse sit separatus, et segregatus a peccatoribus, ut loquitur d. Paulus (ad Heb. 7): *insuper et vigilantissimus custos omnium*, ut vocat illum Iob (e. 7). Scio Burgensem velle Christum nazaraeum vocari ab illo textu Psalmi 131: *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea*, quod idem est, ut explicat ipse, ac si diceret: *super ipsum efflorebit nazaraeus sua, seu, consecratio sua*. Hic ergo flos, Christus Dominus, floruit quidem in nativitate, languit et emaruit in flagellatione, aruit in morte, et resurrexit in resurrectione, ut in persona eius dixit David (Psal. 27): *Et resurrexit caro mea*. Si flores ad multa utiles sunt, ut ad flagrantiam, et suavoleantiam, ad pastum, et ad medicinam propter liquores varios, qui ex illis exprimuntur, ac tandem ad contexamendam coronam; haec omnia Christo excellentiori modo convenire nemo diffidebitur, qui consideraverit odorem sanctitatis eius per totum mundum diffusum; unde illum praecursoris Iacob dixit (Gen. 27): *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni*; agrum plenum vocat beatam Virginem gratia plenam, ex qua flagrans hic flos prodiit, cuius odorem participans Apostolus dicebat (2. Cor. 2): *Christi bonus odor sumus*: ex hoc flore expressus fuit salutaris Ille purpurei sanguinis liquor, in medicinam spiritualium vulnerum animarum. Ad pastum etiam hunc florem prodire nemo negabit, qui Christum audierit dicentem (Ioan. 6): *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendit*. Ex hoc tandem flore contexamendam esse coronam ad redimendam sanctorum capita, disertis verbis edixit Isaias propheta (e. 28): *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriae, et tertium exultationis residuo populi sui*. Hugo de sancto Victore (miscellanea 2.) septem floris proprietates describit: enim esse subtilem, tenerum, mollem, levem, odoriferum, pulchram, et mitlem. Ecce Christum subtilem per corporis extenuationem, tenerum per amorem, mollem per mansuetudinem, levem per paupertatem, odoriferum per vitae sanctimoniam, pulchram per vultus venustatem cum singulari modestia concinnam, utilem per doctrinam, carnem, et sanguinem, quibus animam fidelium variis modis cibant, et potant.

Ad flagellum illud silentio minime praetermittam, quid sibi velit Isaias propheta, dum postquam dixerat (cap. 11): *Egrēdiatur virga de radice Isae*, continuo subiecit: *Et flos de radice eius ascendet*; cum aliquam sufficere videbatur dicere: *et flos de virga eius ascendet*? Ad consulo prophetam verba illa, de radice eius, addidisse existimo, ut Christum Dominum, et

Mariam ex eadem davidica radice oriundos fore, atque adeo corpus Christi, quod intra Virginis iterum erat efformandum, non fictum, aut phantasticum, instar corporum, quae angeli solent assumere, futurum esse, sed verum, et humanum, quale habuit ipsa radice davidica, aperte demonstraret. Accedit, quod et idipsum confirmat, si vim faciamus in verbo illo *flos*: nam sicut flos producit ex sublimiori substantia, et puriori succo ipsius plantae; sic Christus Dominus instar floris secundum carnem formatus fuit ex sublimiori substantia, et puriori sanguine immaculatae Virginis; unde d. Bernardus (lib. 8. de consideratione) dixit, ex verbis istis Isaias, et *flos de radice eius ascendet*, convinci falsitatem erroris quorundam haereticorum dicentium, et corpus Christi fuisse desumptum ex materia coelestis. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

#### HOMILIA V.

*Beatae Virginem natam fuisse pulcherrimam omnium foeminarum, eiusque pulchritudinem libidinem eam inventum extinxisse, sanctorum Patrum monumentis, ac variis rationibus, commonstrans; pariterque de Fulgore vultus illius, capillorum colore, et corporis suavolentia disserimus.*

Videbitur fortasse alicui supervacaneum esse commendationem b. Virginis a pulchritudine corporis petere, cum hanc divina eloquia detestentur, sancti Patres fugiendam admovent, ac philosophi antiqui non pauci contra illam praecelara multa scriperint. Certe, si divina eloquia consulimus, Ecclesiasticus dixit (cap. 13): *Vestigium cordis boni, et faciem bonam difficit, et cum labore invenies*; et alibi (Ecles. 9): *Ne circumspectas speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt*; et ibidem: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius*. et (Proverbor. ultimo): *Fallax gratia, et vana est pulchritudo*; vel, ut hebraeus codex habet: *Mendacium est gratia, et vanitas est pulchritudo*. Isaias etiam dixit (cap. 40): *Exortum est foenum, et cecidit flos, et decore vultus eius deperit*; et Iob (cap. 18): *Devoce pulchritudinem cutis eius, consumat brachia illius primogenita mors*; imo Deus execrari videtur pulchritudinem corporis, cum (Threnorum 2.) dicatur: *Oecidit omne, quod pulchrum erat visum in tabernaculo filiae Sion*. His consonant, quae Patres dicunt: d. Chrysostomus ait (hom. 20. ad Ephes.): *Extrema visus pulchritudo plena est mutatae superbiae, et arrogantiae*. d. August. (lib. 15. de civit. Dei) vocat pulchritudinem bonum minimum: exponens enim verba illa (Gen. 6): *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae*, ait: *deserto magno bono, lapsus factus est ad bonum minimum*: d. Hieronymus (super Ecles. 7) mulierem pulchram vocat *matorem omnium caput*: d. Chrysologus (ser. 77) *superbi titulum*: nam sicut titulus lapidi insculptus solent indicare sub illo adesse sepulchrum, ita mu-

licbris pulchritudo quasi quidam titulus est, qui instar epigraphae indicat, illam sepulchrum esse multorum, qui solo eius aspectu interierunt. Tertullianus tandem pulchram mulierem vocat diaboli ianam (lib. de habitu mulier.). Mira etiam veteres illi Gentiles in pulchritudinis vituperium scripsere: Iuvenalis dixit:

Rara est concordia formae, atque pudicitiae:

et Ovidius (in 1. de Fastu):

Fastus inest pulchris, sequitur superbia.  
Et si quae est illis formosa, invidet illi;

simile est illud libri 1. de arte amandi:

Delectant etiam castas praeconia formas.

Ex quo factum est, ut Pallas, et Iuno, ut refert Virgilius, aegre tulerint iudicium Paridis, iudicantis deam Venerem pulchritudine Iunonem, et Palladem praecellere.

Manet alta mente repostum  
iudicium Paridis.

Et Paulus Manutius (in suis Adagijs) refert, celeberrimo fuisse apud antiquos proverbium illud: *Ignis, mare, mulier, tria mala*; ignis comburit, mare submergit, et suffocat; at pulchra mulier malum est: nam si ignem, et mare non contingas, non te laedunt; at foemina pulchra solo aspectu, velut basiliscus, inficit, atque contaminat. De fragilitate etiam, atque instabilitate mulieris pulchritudinis, non pauca tam idem, quam alii philosophi verissime edixere. Cicero ait: *Formae dignitas, aut morbo deflorescit, aut vetustate extinguitur*. Ovidius (lib. de medicamine faciei):

Formam depopulabit aetas.  
Et placidus regis vultus aratus erit:

et alibi:

Forma hominum fragile est, quotcumque accedit ad  
Fit minor, et spatio capitur ipsa suo: (ammos,

et lib. 2. de arte amandi:

Nulla non dies formosi corporis spoliis non abstulit.

Et Nemesius (Egloga IV.) similia dicit:

Bonum forma breve est, nec te sibi commodat omnis.

Calphurnius in Baccolis ait:

Non haec semper eris, perdunt et graminia flores.

Boetius (prosa 8. lib. 3. de consolat.): *Formae, inquit, nitor rapidus est, et velocis, et vernulum florum mutabilitate fugacior*; et ibidem: *Aestimatis hoc, quicumque miramini, triduanas febribus igitur posse dissolvi*; ac tandem ait: *Si, ut Aristoteles dicit, lynceis oculis homines intuerentur, ut eorum visus obstantia penetraret, non*

ne introspectis visceribus illud Alcibiadis superficiei pulcherrimum corpus, turpissimum videretur? Igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. Petraticha etiam eleganter dixit (de remed. utriusque sortis): *Cunctis ac qualitatibus, quae mortali cum corpore fugiunt, nulla velocior, quam forma, quae mox, ut amicum foscolum ostendat, ipsos inter oculos mirantium, atque laudantium evanescent: et cum brevis hunc primum percusserit, levis hunc aurora decusserit, subito, vel manus ungue decipitur, vel praeteriens morbi calce deprimitur*; haec ille. Quod si innumera mala, quae foeminarum pulchritudo peperit, commemoranda forent, tempus polius, quam materia mihi deliceret: quemadmodum enim piscator pisces, aeneas aves esca, sic diabolus homines foeminarum pulchritudine decipit; unde d. Ambrosius dixit (lib. de virg.): *Carnes, etiam volantes apulas depomunt*. Aquila Salomon, aquilae multi alii mira sanctitate polentes; quos tamen mulieris pulchritudo fessellit, ac in gravissimum peccatorum batrachum delravit. Noverat quidem rex Balach hanc pulchritudinis vim, et fortitudinem ad emolliendos, et vincendos animos, cum debellaturus Israelitarum exercitum, cum debellaturus Israelitarum exercitum, non strenuus, ac fortis miles, sed pulchrae foeminae instrui praecipit ex consilio Balaam. Origenes (hom. 20 in Numer.) in hunc modum loquentem egredior indicat: *Non virtute, inquit, militum, sed mulierum decore pugnamus est, nec armatorum vigore, sed mollitie foeminarum; procul aeneae armatorum manum, et electam congrega speciem puellarum: forma vincit armatos, ferunt pulchritudo captivat; vincuntur species, qui non vincuntur praetio; haec ille: unde Publius Syrus dixit: *Formosus species, multa commendatio*: et Carneades: *Regnum absque satellitio*: cui consonat illud, quod Quintilianus, et Pansianus commemorant de atheniensi quadam matrona, mira pulchritudine insignita, quae in publico iudicio prodians, id quod eloquentissimus orator Iserpide sermonis sui venustate, et elegantia ei oblinere non poterat, illa vultus sui pulchritudine, ac miro decore a iudicibus extorsit: unde extat dictum Aristotelicum, Laertio id referente (lib. 5. de vitis Philos.): *Pulchritudo quavis epistolae effcaciore ad commendationem*; et Theophrastus Aristotelis discipulus vocabat pulchritudinem si lentem fraudem: ad quae verba videtur allusisse alia imperialiter (in l. 1. ff. de restit. in integ.) ubi ait: *Utilitas huius tituli non eget commendatione*: ipsa enim se ostendit. Socrates denique crudeliter tyrannum illam vocabat.*

Verum tametsi pulchritudo humani corporis fugax, ac labile quoddam bonum sit, Dei tamen donum est, ut docuit d. Chrysostomus (in Paul. 50), necnon et d. Augustinus (lib. 15. de Civ. Dei c. 22) his verbis: *Pulchritudo Dei donum est; sed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis*. Hinc Plato (lib. 2. de Repub.) inter bona corporalia quandoque vult primum locum tenere sanitate, quandoque pulchritudinem, illamque vocabat *maxime omnium amabilem, et naturae privilegium*, quia paucis conceditur, ut refert

Andreas Eborensis, et Stobaeus testatur Dyonem pythagoricum dixisse, pulchritudinem ad reverentiam cum admiratione continendam, animum excitare: verba Pythagorae sunt haec: *Pulchritudo revera mihi videtur quid reverendum et admiratione dignum.* De Aristotele etiam fertur, quod interrogatus, quid causae esset, quod facilius, et libentius cum illis confabulatur, qui pulchriores sunt, respondit, interrogatorem hanc hominis caeci esse, quem pulchritudo non allicit. Illud tamen super omnia pulchritudinis excellentiam commendat, quod d. Ambrosius dixit (*lib. 2. de Virginibus*): *Species corporis simulacrum est mentis, figuramque prohibitas. Hinc Euripides apud Porphyrium dixit: Priami species digna est imperio.* Hinc ius civile vult, teste Baldo, et Tiraquello, quod si duo aequalibus suffragiis ad dignitatem recitoris sicut electi, dignitas illa, non deformi, sed pulchro; quod si uterque pulcher, pulchrior detur; id non alia ratione iura determinat, nisi quia externa pulchritudo bonae indolis indicium esse solet: atque huc facit illud, quod Laertius adducit de Diogene, qui videns decorum adolescentem indecore loquentem, dixit ei: *Non erubescis ex eburna vagina plumbeum educere gladium?* revera quemadmodum praeclearum ensem praecleara vagina, ita pulchrum animum pulchrum corpus decet; est enim corpus, iuxta phrasim sacrae Scripturae, vagina animae, ubi enim Vulgata nostra in Genesi legit (*cap. 6*): *Non permanebit spiritus meus in homine.* Paganus vertit: *non erit ut in vagina spiritus meus.* Contra vero d. Gregorius et Hieronymus (*quod et habetur dist. 49. cap. Hinc enim*), dicunt corporis maculas esse symbolum vitiorum; cui consonat illud Galeni (*lib. 2. de temper. c. 6. et lib. 1. et 2. de usu partium*): *Natura membra componit, prout moribus animae convenit: ille etiam aller famosus medicus Rasis (l. 2. c. 33. ad Almansorem): Cuius facies, inquit, est deformis, vix potest habere bonos mores: quae omnia his carminibus acute, et eleganter conclusit Martialis:*

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laevis,  
Rem magnam praestas Zoile, si bonus es.

Unde, ut narrat Plutarchus in vita Lycurgi, cautum erat apud Lacedaemones, ut filii, qui deformes, ac foedi nascerentur, vilibus officiis obeandis addicerentur: immo, et in lege veteri Deus prohibuit (*Levit. 21. et Deut. 15*), ne corpore deformes sacrificia sibi offerrent; et in lege nova, cum deformitas est notabilis, irregularitate inducit, ut constat ex titulo de *irregularitate*. Plutarchus etiam, ubi supra, rem mirabilem narrat huic argumento valde consentaneam, quod cum Philomeno, fortissimus rex, facie tamen valde deformis, domum ingrederetur cuiusdam amici, qui illum ad prandium invitaverat, uxor invitantis conditionem illius nesciens, indicans ob nimiam eius deformitatem, hominem vilem esse, praecipit, ut interim ligna caederet, dum maritus adventaret; cui ille obediens, dum ligna scinderet, dicebat: *meae deformitatis poenas exsolvo: ex quibus omnibus non obscure colligitur, deformi-*

tatem, detestabile malum; pulchritudinem vero, amabile bonum, et inter praeclearas naturae dotes connumerandum esse: alioquin sacra Scriptura minime insignes foeminas a pulchritudine laudasset; laudat autem Rebecca (*Gen. 24*): *Erat enim puella decora nimis, virgoque pulcherrima, et incognita viro.* De Rachele aut (*Gen. 29*): *Erat decora facie, et venusta aspectu.* De Esther (*Esth. 1*): *Pulchra valde, et incredibili pulchritudine; gratiosa omnium oculis, et amabilis videbatur; et de Iudith (*cap. 8*): Considerabant faciem eius, et erat stupor in oculis eorum, quoniam eius pulchritudinem mirabantur nimis: ac tandem de filiabus Iob, inquit (*cap. 42*): Non sunt incantatae mulieres speciosae, sicut filiae Iob in universa terra. Atque hinc primam rationem desumo ad suadendam eximiam virginis pulchritudinem, quia praeterquam praedictae foeminae beatam Virginem adumbrantur tam in dotibus naturalibus, quam supernaturalibus, quibus insignitae fuere; eade id, quod in aliis foeminis sacra eloquia laudent, memo sanae mentis dicit, Virgini defuisse, quae foeminarum omnium in omnibus, et per omnia praestantissima fuit. Secunda ratio sit: nam Aristot. (*2. lib. physicor*) dixit: *Natura est via insita rebus, similia ex similibus procreans: unde nisi natura impediatur, filius prodit similibus patri, vel matri; at Christus Dominus fuit pulcherrimus inter omnes, iuxta illud Davidis (*Psal. 44*): Speciosus forma prae filiis hominum, et in eius conceptione non potuit impedimentum aliquod obesse, cum de matre abeunte, cooperante Spiritu sancto, cuius perfectissima sunt opera, conciperetur; unde Nicephorus Calixtus (*lib. 1. hist. cap. ult.*), postquam pulchritudinem Christi descripsit, concludit: *Persimilis denique per omnia fuit divinae, et immaculatae suae Genitrici: et d. Ambros. (lib. 3. de Virginibus) ait: Christus Matrem corpore, virtute referebat Patrem.* Relinquitur ergo, quod si pulcher fuit Filius, pulchra et Mater. Tertia ratio, quia corpus pulchritudo ex optima complexione, ex optimo temperamento, et ex apta membrorum proportione nascitur: at corpus Virginis fuit adeo bene temperatum, ut nunquam in verum, ac proprium morbum incideret, ut testatur Galatinus (*l. 7. c. 10*), Card. Caietanus opusculo de spasmo Virginis, et favei Synodus actione 11 dicens, corpus Virginis ab omni contagio fuisse liberum. Consequens ergo est, fuisse etiam pulcherrimum: quod et ex descriptione pulchritudinis non obscure probatur, quae descriptio tria sibi vindicat, debitam corporis quantitatem, elegantem membrorum proportionem, et coloris venustatem, quae omnia in Virgine convenisse, et nuper dicta, et confestim dicenda abunde probant. Quarta ratio, quia castitas beatissima Virginis est in eo genere omni commendatione dignissima; at castitas commendabilior est in Virgine pulchra, quam in deformi, poeta canente:**

Gratior est pulchro-veniens in corpore virtus;

a quibus verbis non dissident verba illa Sapientis: *O quam pulchra est casta generatio cum*

et aritate, hoc est, cum pulchritudine; immortalis est memoria illius, quantum apud Deum nota est, et apud homines: etenim sicut innocentia in deformibus est vituperabilior, sic continentia in pulchris laudabilior, maxime, quod raro est pudicitia pulchritudinis comes Ovidio dicente (*in epist. Parisidis*):

Est lis cum forma magna pudicitiae.

Quanto ergo rarior, tanto in Virgine fuit illustrior mira pudicitiae, et formae concordia. Atque hinc est, quod Sancti Patres unanimi consensu docent, beatissimam Virginem singulari, ac honestissima corporis pulchritudine viguisse. Gregor. Nazian. (*hom. de Christo patiente*), reliquas, ait, foeminas pulchritudine Mariam longe superasse. Andreas Hierosolymit. (*serm. de assumptione*), vocat illam, statum a Deo sculptam, recte descriptam, ac eximia pulchritudinis (*e. 20. in Cant.*). Ricardus Victorinus appellat eam vultu angelicum tam corpore, quam mente fuisse decoratam: et addit Albertus Magnus (*apud Dionys. lib. de laudib. Virg. art. art. 34*), tantum pulchritudinem habuisse, quantum secundum naturam corpori poterat inesse. Sed excellentius omnibus hoc argumentum prosequitur d. Ioann. Damascenus (*orat. 1. de nativ. Mariae*), ubi appellat Mariam Virginem naturae venustatem: aurea eius verba sunt haec, quae sequuntur: *O Deo digna filia, humanae naturae venustas, primigeniae matris Ecce correctio, mulierum ornamentum: certabant inter se saecula, quodam ortu suo gloriaretur; sicut enim templum Salomonis decuit etiam materialiter, et exterius aureis ornamentis, ac superbissimis candelabris adornari; ita quoque templum vivum Filii Dei, in quo carnem assumpsit, decuit etiam corporeis, et carnis ornamentis, ac proportionatis partibus sapienter delineari, ac decorari: quod si haec gloria Esther, et Iudith communibus mulieribus collata fuit; de illa enim legitur in eius lib. cap. 2: erat Esther formosa valde, et incredibili pulchritudine, omnium oculis amabilis, et gratiosa videbatur. Atque iterum: Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, et in sensu verborum: quam iusta ratione id Matri Dei denegari poterit? Mulier, inquit Sapient. Proe. 11, gratiosa inveniet gloriam; nunquid Mariae quae ab angelo gratiosa nuncupata est; gloria, hoc est pulchritudo corporis, deerit? Habet Assuerus rex puellas speciosissimas, et Ancilla Domini invenusta eligetur? est pulchritudo Deiparae ornamentum Ecclesiae Dei: Sicut sol, (inquit Ecclesiast. c. 26) oriens mundo in altissimis, sic mulieris bonae species in ornamentum domus eius, lucerna splendor super candelabrum sanctum, et species faciei super acetabulum stabilem. Consonant his, quae eruditus Bernardinus in epist. ad Sixtum IV. scripsit:*

Nulla fuit tanta mulier relicta decore,  
Quae speciem superet Virgo Maria tuam,  
Candidior nive rutilius regina colore,  
Et radiis cedit clara Diana tuis.  
Luna stum perdit tecum sociata nitorem,  
Atque comes nullum sol tibi lumen habet.

Accedunt ad haec loca omnia Cantie. in quibus pulchra, et pulcherrima passim a Sponso vocatur; cuius pulchritudinem sol, et luna mirantur; necnon et alia Ecclesiae catholicae: *Valde, o valde decora; Specie tua, et pulchritudine tua, intendat prospere, procede, et regna; et similia.*

Iam quae in speciali antiqui Patres de corporali Virginis pulchritudine, et praecipuis christiferi illius corporis partibus testata nobis reliquerunt, in medium proferamus. S. Epiphanius, adamussim corpus Virginis describit, id referente Nicephoro (*lib. 2. cap. 23*); cuius haec sunt verba: *Morum, formaeque, et staturae oleo colore pupillas in eis habens, supercilia ei erant inflexa, et decenter nigra; nasus longior, labia florida, et verborum suavitate plena; facies non rotunda, et acuta, sed aliquanto longior, manus simul, et digiti longiores; erat denique factus omnis expertus, simplex, minimeque vultum fingens, nihil molliore secum trahens, sed humilitatem praecellentem colens. In vestimentis, quae ipsa gestavit, coloris nativae contenta fuit; id, quod etiam nunc sanctum capitis eius velamen ostendit, et ut paucis dicam, in rebus eius omnibus multa divinitus inerat gratia; haec ille. At quia christifidelibus pergratum est singula, quae ad Deiparam Mariam spectant, agnosce, quae moleste non feram, quae magnus Dionysius Arcopagita tradit de pulchritudine, et gravitate Mariani vultus, quom oculis suis inspexit, hic inserere. Scripsit ille epistolam quamdam ad d. Paulum, ut ex multis auctoribus illam probantibus commemorat Ferrucius (*de Maria Augusta*): titulus epistolae hic est:*

Servus, et novissimus victus Dionysius,  
Electissimus vasi coelico Paulo praecceptor, et principis salutem.

Confiteor coram Deo, princeps mi, ab hominibus non posse percipi, quam ego oculis non tantum mentis, sed corporis vidi, perspecei, atque propriis oculis intuius sum, deformem, atque supra omnes coelicis spiritus sanctissimam Matrem Christi Iesu Domini nostri, quam mihi benignitas Dei, et clementia Sateatoris, et gloria maiestatis deformis Virginis matris eius ostendere dignata est: quoniam cum a Ioanne veritate evangelii, et prophetarum, qui corpore habitans, quasi sol fulget in coelo, ductus fui ad deformem praesentiam altissimae Virginis, tantum me immensus divinus splendor circumfulsit exterius, et plenus irradiavit interius, tanta etiam in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus inflexa, nec spiritus posses totius, ac tantae felicitatis insignia substerneret.

*Defecit cor meum, defecit spiritus meus, tantas gloriae maiestate oppressus: Testor, qui aderat in Virgine, Deum, si tua divina doctrina non me docuisset, hanc verum Deum esse credidisset, quoniam nulla videri posset maior gloria beatorum, quam felicitas illa, quam ego, infelix nunc, tunc vero felicissimus degustavi. Gratus ego summo, atque optimo Deo, divinaeque Virgini, et eminentissimum apostolo Iohanni, et Tibi ecclesiae vertici, atque principi, qui triumphanti mihi talia clarissime, et clementissime praestitisti. Vale; haec s. Dionysius Areopagita: ex quibus maxime fulcitur gravissimorum doctorum sententia assensum, quod sicut olim propter consortium Dei, e facie Moysis splendentes adeo radii probabant, ut filii Israel in faciem eius intendere non possent (Exod. 34); ita in facie Virgine divinus fulgor emicabat. Testatur id ille alter extaticus Dionysius (lib. 1. de Virg. art. 36) dicens: *Eo interior illa, ac divina sinceritas luminosa evidenter in eius facie apparebat, atque, ut quidam etiam magis doctores dicunt, visibiliter radiabat: ude etiam d. Hilarius, et Nicolaus de Lira (super cap. 1. Matthaei) explicantes verba illa: Ioseph non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum, asserunt Iosephum prae nimio Mariani vultus fulgore in facie eius relucente non potuisse oculos aciem in illam figere; quod idem disertis verbis docuit Origenes, dum dixit (super Matth. 1): Quamvis Virgo beata habuit in suo utero solum substituta, tantus fulgor exibat de eius facie, quod Ioseph eam cognosceret, et discernere non valebat, nec in eius faciem intendere poterat, donec eius uterus fuit evacuatus. Sed perge iam aliam insignem, atque excellentiorem Marianae pulchritudinis circumstantiam commemorare, quam nulli Patres, et gravissimi doctores docent, nimirum pulchritudinem Virgine ea divinitus sibi infusa virtute vigaesse, ut in intuentibus illam, non solum libidinem, si quae erat in illis, extingueret, sed ad castitatem sectandam incitaret: huius veritatis primum testem produco d. Ambrosium (de inst. Virg. cap. 7), qui ait: *Tanta erat eius gratia, ut non solum in se virginitate seraret, sed etiam, si quos inviseret, integritatis insigne ipsis conferret: sequuti sunt d. Ambrosius gravissimus alii Patres, et Doctores; siquidem angelicus doctor Thomas (in 3. d. 2. 1. ar. 2. ad 4) ait: Gratia sanctificationis non solum repraesentat in Virgine motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit, ita, ut quaecumque esset pulchra corpore, a nullo concupisci poterit. Contestatur idem d. Bonaventura, dicens (in 3. dist. 3. q. 3): Quidam Iudaei asserunt, hoc mirum fuisse in Virgine, quod, cum esset pulcherrima, tamen a nullo unquam viro fuerit concupita, nec concupiscendum esse hoc infidelium testimonium; haec ille. Approbat etiam et cancellarius Parisiensis Gerson (ser. de Concep. Virg.): Dico, inquit, quod phisonomia Virgine movebat aspicientes ad omnem castitatem, et luxuriosus extinguebat, mortificabatque cogitationes. Similia scripsit celebris ille sua aetate Maior, dicens (super e. 1. Luc): *Illam dotem Omnipotens Deipara suppeditavit, ut mortalium nemo illam concupisceret. Porro, ea visa, infrensus libido, ut****

*firmater teneo, prorsus extinguebatur. Similia tandem tradunt Alexander Aensis (3. p. summae), Dionysius Carthusianus (sup. e. 2. Cant.), et Gabriel (3. d. 3. q. 2). Alique hinc intelligit, eapropter beatam Virginem cedro se comparasse (Eccles. 24): Quasi cedrus exaltata sum in Libano, quia sicut cedrus haec insitam virtutem habet, ut vermes extinguat, ita singularis Virgine pulchritudo ea divina praedita erat virtute, ut in aspicientibus illam libidinis vermes, animae decorem devorantes, penitus extingueret: simili etiam ratione se contulit myrrhae: Quasi myrrha electa d. di suavitatem odoris: nam sicut myrrha a corruptione praeservat, ita pulchritudo Virgine intuentium animos a libidinis contagione praeservabat. Hinc etiam intelligit locum illum Cantorum (cap. 2): Sicut lilium inter spinas, sic unica mea inter filias; perinde enim est, ac si dixisset: hoc interle discrimen inter Mariam, et reliquas virgines etiam castissimas, ut Anelem, Luciam, Catharinam, Agatham, et Margaritam, et similes alias, quod illae sua pulchritudine, ut spinae intuentium animos pungebant, Maria vero, velut lilium, neminem sua pulchritudine laesit, aut inordinati alicuius motus occasio extilit. Itaque licet quaedam aliae virgines nunquam conciperint, fuerunt tamen concupitae: Virgo tamen, nec concupit, nec fuit unquam concupita. Mirabile sane Virgine privilegium! Sancta quidem erat Sara (Gen. 20), sancta Rebecca (Gen. 26); et quia fuerunt concupitae, utriusque pulchritudo magno discrimini exposuit earum maritos, dum rex Gherar, et rex Palaestinarum Abimelech in eorum amorem exarserunt; at Deipara Maria nulli unquam extilit sua pulchritudine libidinis occasio, sed multis fuit adversus libidinis illecebras praesentissimum remedium. Antiqui sane agnoscentes, quam dire mortalium animos infestet libido, multis conviciis illam prosequuti sunt, malam bestiarum vocitantes, perniciosam pestem, indomitam feriarum facem, effraenem hydram, cui si caput unum praecideris, continuo pullulant aliae, ac proinde multis, ac variis remediis illi occurrere gestierunt. Aristot. (sess. 4. Problematum) ait: *Frigiditate pedum, libidinis calida incentive domari; Frigentesque pedibus aegro concumbere posse.* Plinius etiam (lib. 20. naturalis hist.) docet, lactucae semina in vino posita, libidinum imaginationes in somno percipere: et (lib. 24) tradit: *Salicis folia contrita, et in potum missa, libidinis intemperantiam cohibere, immo frequentem eius usum in totum eam tollere.* Malonius vir eruditissimus scribit: *vicicis folia substrata cubilibus, eorumque fumigine venerae rei impetus sedare:* et ideo ait, athonienses matronas castitatem servaturas viticis folia sibi substermere solitas, ut testatur Plinius praecipitatio loco. Alii etiam inquit, lilia alba thoro strata suo odore libidinis furorem sedare, turpesque somniorum imaginationes comprimere, de quibus quidam poetarum ceclint:*

Castos dant lilia somnos:

ac tandem subdit: alii plumbeas laminas lumbis superpositas libidinum faces sua frigiditate

lenire traderent. Andreas etiam Bachins, balnearum usum libidinem sedare docuit (lib. 3. de thermis cap. 2). De planta etiam, quae aegae castus vocatur, in pulverem redacta, et in potum missa, naturales historiographi tradunt libidinis vim, atque furorem reprimendi virtutem habere; et propterea, *aprum castum* vocari. Remedia deinde spiritualia adversus libidinem frequenter sancti Patres tradunt: ut considerationem novissimorum, ieiunium, et abstinentiam, quae sine cere, et baccho friget venus; corporis flagellationem, et similia. At cum intulit pulchritudinis b. Virgine nullum remedium valet comparari, cum illa non solum adversus luxuriae tela firmissimum praesidium, sed ad castitatem amandam singulare esset incentivum. Erat praeterea eximia Virgine pulchritudo cum tam rara modestia coniuncta, ut Galatinus antiquarum rerum diligentissimus investigator (lib. 7. de Arcan.) dixerit: omnia Virgine membra, a vertice capitis ad unguis usque pedum, omnesque sensus eius, et cogitationes animae imperio absque omni repugnantia obtemperasse, usque adeo quidem, ut oculi eius nihil inhonesti, nihil illiciti unquam aspexerint; immo, ut oculos nunquam elevarit, sicut ceteri homines facere solent, sed semper, nisi Deum oraret, humi defixos tenerit, atque inter ceteras perfectiones eo spiritu prophetae donatam fuisse ait, ut si forte aliquid incoessum, seu illicitum, vel audita, vel visura esset, illico eius aures, et oculi clauderentur, ita ut eius membra, et sensus omnes non nisi voluntati divinae deservire viderentur. Ex his omnibus facile mihi persuado, beatissimum Virgine pulcherrimum omnium foeminarum extitisse: sicut enim olim, id referent Cicero (lib. 1. de inventione), insignis ille pictor Zeusis, volens in gratiam crotoniensium depingere Helenam, cuius eximiae pulchritudinis fama erat vulgatissima, quinque pulcherrimas inter omnes virgines, tanquam spectandum exemplar sibi ante oculos proposuit, ut ex singulis elegantiora seligens, in Helenae imaginem illa transferret: sic sane Deus supremum omnium pictor non quinque foeminarum virgum dotes, sed quidquid in cunctis creaturis pulchritudinis, et gratiae fuit, totum illud in Genitricem suam Mariam concitavit. Laudent ergo sacra eloquia eximiam pulchritudinem Iosephi, Moysis, Sautis, Ionathae, Davidis, et Absalonis; magnificentem etiam insignem venustatem Sarae, Rachelis, Dinae, Thamaris, Noemi, Esther, Iudith, Abigail, Bersabee, Abisag, et Susannae; laudent poetae pulchritudinem Poldiori, Hyppoliti, Deiphae, Paridis, et Nareysi; multis enonius extollant pulchritudinem Atlantes, cuius meminuit Ovidius (8. Metamorph):

Venit Atlantae Schaeae pulcherrima virgo.

Laudibus efferrant suam Ariadnae filiam regis Minois, quam in uxorem duxisse Baccum commentantur; extollant Argiam Adrastrae regis Argivorum natam, ut refert Silius (lib. 1. de Thebaid):

Egregiam Argiam, nec formae laude secundam.

Extollant Cinthiam, de qua Propertius dixit:

Et quascumque tulit formosi temporis aetas.  
Cinthia, non illas nomen habere stuat:

extollant Argiam, necnon et Danae, quarum Iovem amore captum dicebant, ut refert Ovidius; extollant reginam Semiramidem, eo cuius singulari, ac raram venustatem, defuncto eius viro, Persae illam, sicut antea, imperare permiserunt; extollant pulchram illam Aomphellam, quae in sui amorem fortissimum Heculeum captivum duxit; efferant Helenam graecam, eo cuius raram pulchritudinem originem habuit bellum Troianum; extollant Europam, in cuius pulchritudinis gratiam, et honorem dicebant, tertiam partem mundi Europam nominari; extollant Damiram, propter quam bella gessunt Archelaus, et Hercules; extollant Polyssenam, quae invincibilem Achillem suae pulchritudinis lucidissimis armis facile superavit; extollant Laviniam filiam regis latini, cuius amore captus rex Turnus permuta bella gessit cum Troiano Aenea; extollant Medasam, quae so inuentus, ut eorum fabulae mentiantur, immobiles, et extaticos sua pulchritudine reddebat; extollant Pantasilam, in cuius vultu splendens, velut in quodam fulgentissimo speculo integrum exercitum se intueri confingebant; efferant tandem ad coelum usque prophetae auctores, romanam Lucretiam, Cleopatram, Cassandram, Penelopem, Cybalam, Vestalam, Thestim, Roxanam, Virginiam, Polyssenam, Laviniam, et Laodamiam: harum enim omnium pulchritudinem Virgine decor atque venustas intervallo superavit: unde quae mendaciter Ovidius, Galathaea pulchritudinem commendans, egregie ceclint carmina, non ementite, sed veracissime Deiparae Mariae pulchritudini omnino congrunt:

Candidior folio nites Galathaea Iugistri;  
Floridior prato, longae procerior ilmo;  
Frigidior vitrea, tenero lascivior haedo,  
Levir assiduo detritis aegretoe couchis,  
Solibus hybernis aestiva graior umbra.  
Nobilior pomis, matura conspector alta,  
Lacidior glacie, matura dulcor uva.  
Mollior et cygni plumis, et lacte coacto,  
Et si non faginis, rigno formosior horto.

Haec quam apte in Virgine conveniant, insigne illud, ac portentosum miraculum aperte satis indicat, quod Silvanus Razzius commemorat ex lib. 3. miraculorum beatae Virgine, cuius etiam meminit Malonius. Clericus quidam Virgine Mariae eximiam pulchritudinem intuenti ardentissimo desiderio flagrabat, in diesque singulos, ut sibi beneficium istud concederet, instanter deprecabatur: Virgo eius petitioni annuens angelum ei mittit, qui monet, placere sibi sum illi pulchritudinem aperire, sed hac sub conditione, quod, quibus oculis pulchritudinis sua elegantiam conspexerit, nihil unquam aspiciere aliud possit, sed visu orbatus caecus. Accepit clericus conditionem; constituta autem die, et adventiente beata Virgine, clericus suis oculis nimis, aut callide, aut timide prospiciens, oculum unum oculu-

dens, altero solum intuetur coelestem, et poene divinam Virginis maiestatem, et pulchritudinem, in cuius conspectu moratur, rapitur, haeret, gloriatur, ac deficit; at cum Virginis decorem longe splendidiore agnosceret, quam ut uno oculo conspici posset, alterum quoque oculum aperit, utroque paratus orbari oculo, modo tantae Virginis decorem intensius semel cerneret; sed frustra, nam statim atque alterum oculum aperuit, Virgo evanuit: tum is, oculo, quo beatam Virginem viderat, orbatus, maxime dolens, non quod oculum, quo beatae Virginis decus viderat, amiserat, sed, quod altero quoque oculo tantae Matris eminentem pulchritudinem non conspexisset; rursus tristari, dolere, simplex rogare, instare, ac precibus urgere Virginem coepit, ut iterum se alteri quoque oculo videndam concederet, paratum se altero quoque privari oculo: non incassum fudit preces: denuo se Deipara suam gloriam videndam pollicetur: gratias agit clericus, diem cunctatur, quanticos fieri rem postulat; destinata tandem die adest coelestis Regina decus, gloriam, et pulchritudinem suam aperit: fruatur interea clericus; sed subtrahit se Virgo, et pro sua bonitate alterum quoque oculum, quo privatus erat, restituit. Ecce quam admiranda Virginis pulchritudo, pro qua semel aspicienda, non dubitare ille charissima oculorum lumina perdere! Porro, ut illis, quae de naturali Mariani corporis pulchritudine mihi dicenda sunt, ultimam manum imponam, observandum censi primo, Albertum magnum asserere (*de laudib. Virg.*), colorem virginei vultus Deiparae Mariae mixtum fuisse ex candido, et rubicundo, quod sane mihi valde verisimile est: tum quia si, velut docuit car. Caecilianus, Virgo Maria fuit similis per omnia, quantum fas est, Filio suo, certe cum ipse illo colore praeditus fuerit, ut et ipsa testatur (*Cant. 5*): *Dilectus meus candidus, et rubicundus*, consequens est Virginis vultum robore pariter, et candore fuisse perfusum; tum quia, ut testatur Galeus, corpus eucratiticum ex albo, et rubeo mixtum est; corpus autem Virginis eucratiticum erat, hoc est, bene complexionatum, atque optimo temperamento affectum; corpus enim album nimiam frigiditatem, nigrum nimium calorem, mixtum vero ex albo, et rubicundo temperatum est. Nec pugnare arbitror cum hac sententia, quod Nicephorus ex Epiphonio tradit (*lib. 2. c. 23*), colorem Virginis fuisse triticium; nam triticum perfectum, quale in Palaestina inveniebatur, mixtionem habet candidi, et rubei.

De colore autem capillorum eius non est una omnium sententia: quidam enim putarunt, beatam Virginem habuisse capillos aurei coloris, iuxta illud poeticum:

Foeniculum caput si vis formare decorum,  
Crimibus irrutillet, nitet auream,

Alii docent, capillos eius fuisse rubeos, similes illis, de quibus Cantic. (*cap. 7*): *Conae capitis tui, sicut purpura regis vincla canalibus*; faveletque Galeus, dum ait: cerebrum eucratiticum, idest bene dispositum, rubeos capillos

sibi vindicare. Favet et Nicephorus praecitato loco, affirmans, capillos eius flavi fuisse coloris. Alii tandem affirmant, capillos Virginis nigros fuisse, sicut et capilli Filii sui, de quibus ipsa ait (*Cant. 5*): *Conae eius, sicut elatae palmarum, nigrae quasi corvus*; et Veronica imago nigram barbam, et nigros capillos refert; idque sane ad pulchritudinem Virginis valde spectare videtur, iuxta illud Horatii:

Spectandum nigres oculis, nigroque capillo,

Facile quidem esset in hac controversia ferre sententiam, si capilli beatae Virginis in colore persimiles fuissent capillis Christi Domini; cum et Lentulus romanus, iudaici populi praeses, in descriptione vultus Domini aasserat, *capillos habuisse coloris nucis acaclanae praematurae*; et beata Birgitta (*lib. 4 suarum revelationum*) dicit: *Capilli eius, supercilia, et barba, croceae brunea erant*; tamen quia ex diversitate complexionis virilis, et foeminae poterat diversus color oriri; non enim ad pulchritudinem viri pertinet idem color capillorum, qui in foemina desideratur. Quare in re dubia, unicuique prout libuerit, licet opinari, dummodo non dicat, quod quidam inepte effutiverunt, habuisse capillos albi coloris, quia de Christo Domino, cui persimilis erat Virgo, dicitur in Apocalypsi capillos eius candidos esse tamquam lanam albam, et tamquam nivem; hoc enim stultum est dicere, cum capillorum candor pugnaret cum pulchritudine foeminae, et quia capilli illi albi, quos in visione testatur se vidisse Ioannes, non referantur naturales capillos Christi Domini, sed innocentiam, et animi illius candorem. Tandem illud inter alia egregiam Virginis complexionem divinitus et datam non parum ostentat, odorifero scilicet corpore praeditum fuisse, ut tradit d. Dionysius doctor extaticus (*lib. 1. de Virg. art. 36*), nec mihi est creditu difficile: nam Plutarchus dixit: *In Aristoxeni commentariis legitur, Alexandri magni membra, atque os tam suave odorem exhalasse, ut et interiores tunicae mirabili fragrantia, completerentur; cuius rei causa fortasse fuit quaedam corporis temperies innato calore ferentis*. Quod si Pierius Valerianus loquens de aegyptiis inquit (*lib. 37*): *Minime mirum est, in tanta victus personarum corpora, quod plerique auctores tradunt, vel nullis odoribus delibata, sponte auras suaveolentem emisisse, odoratasque transeuntium vultus miram inspirasse fragrantiam*: quod si, inquam, id aliis humanis corporibus fuit concessum, minime credam Mariano corpori, quod Dei futurum erat habitaculum, fuisse denegatum; immo si id fieri non posset, ut multi autumant, nisi supernaturali Dei virtute, non video, cur huiusmodi odoris fragrantiam, atque suaveolentiam, quam mortuis corporibus servorum Dei concessam experimur, vivo corpori Matris Dei denegatum dicamus. Scio non defuisse, qui dixerint, non decessisse beatam Virginem odorem spirare, ne delicias, et odores amare videretur: at certe cum odor ille non esset instar odorum, quibus prophetae homines utuntur, qui libidinis incentiva esse solent, sed supernaturalis, et ab illis valde diversus, po-

tius ad commendationem, et bonam opinionem Virginis iuvasset. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VI.

*Sacerrimum Mariae nomen multis retro temporibus pronuntiatum, et impositum, congruentissimum illi esse, tum ex Dei imponentis sapientia, tum ex mysteriis, quae in literis ex quibus coalescit, delitescunt, facile apprehenditur.*

Quamvis nominum significatio ex libera imponentis, et insituentis illa ad significandum voluntate dependeat, semper tamen debet, ut docet angelicus Doctor (*3. p. q. 37. art. 2*), proprietatibus, aut numeribus ipsarum rerum correspondere: quod et prius docuerat Plato in Sophista, et Cratilo; unde abiit in proverbium: *Nomina debent consona rebus esse*: idque sibi volunt verba illa Genesis, *Omne, quod vocavit Adam, ipsum est nomen eius*: ac si diceret Moses: ita sapienter Adam nomina imposuit rebus, ut earum naturis omnia essent congrua, atque consentanea. Hinc Adam uxorem suam appellavit Evam, quia futura erat mater viventium (*Gen. 3*), quod est Evae significatum; ipsa etiam Eva, ut habetur (*Gen. 4*) primum filium suum vocavit Cain, cuius et rationem ipsa assignavit: *quia possedi*, inquit, *hominem per Deum*: secundum Abel, eo quod cito evanescere deberet, et luctum parere parentibus: tertium vocavit Seth, dicens: *Posuit mihi Deus semem alium pro Abel*. Lamec vocavit filium suum Noe, quia iste, ait, *consolabatur nos ab operibus, et laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus*. Abraham nuncupavit filium suum Isaac, quia Sara dixerat: *Risum mihi fecit Dominus*. Iacob sic vocatus fuit, quia fratrem suum supplantaverat in utero; et Esau nomen hoc accepit, quia rufus erat. Phares hoc nomine fuit donatus, quia materiem uteri diviserat. Moyses filium primum vocavit Gerson, quia advena fuit in terra aliena. Ioseph primogenitum vocavit *Manasse*, quia oblivisci fecit illum Deus omnium laborum suorum; alterum nomen imposuit *Ephraim*, quia, ait, *crecerunt me fecit Deus in terra paupertatis meae*. Ac tandem Anna vocavit filium suum *Samuel*, quoniam a Deo illum postulaverat. Quid? quod etiam apud Gentiles nomina propria arcanam quandam significacionem continebant. Hector enim lingua phrygia *possessorum* significat, ut indicaretur, illum possessionem patriae tutatorem esse: Tantulum *infelicissimum* Plato in Cratilo interpretatur, cui nimirum multa adversa eventura essent: Priamus *redemptum* sonat, ut qui adhuc infans in Troiae eversione captus, redimendus esset. Si ergo nomina ab hominibus prudenter imposita consona sunt rebus nominatis, nomen *Mariae*, quod os Domini nominavit, utpote quod de coelo delapsum, ut testantur d. Ambrosius (*ser. de nativitate Virg.*), Bernardus (*super Missus est*), et Anselmus (*lib. de concept. Virg. c. 2*), consequens est Deiparae Virgini congruentissimum esse. COE-

CARTHAGENA DE B. M. V. — Vol. I.

pit autem Deus primus omnium a principio creationis mundi nomen Mariae ore suo nominare, pro quo observandum est, Moysen dixisse, quod Deus congregationem aquarum vocavit *maria*. S. Thomas quaerens (*p. suae Summae q. 69. art. 1. et 3*), quare Deus congregationes aquarum non vocavit mare, sed *Mariae*? respondit, congregationes ipsas, quae erant plures, vocavit maria, et non mare. Sed non videtur conveniens ratio, quia licet in eodem flumine plures congregentur a quae diversorum fontium, unum nihilominus dicitur flumen, non flumina: ergo eadem ratione, licet tunc plures ad eundem locum congregarentur aquae, unum esset mare, non maria. Unde licet mihi pie cogitare Deum nomen Mariae adeo dilexisset, ut levem etiam occasionem oblatam ad illud nominandum, praetereire noluerit; et ideo congregationes aquarum voluit vocare maria, ut sic primus omnium Mariam pronuntiaret; in cuius etiam pronuntiatione illud latet arcanum observacione dignum, quod productio nominis Mariae sit in litera I, quae ut Pierius adnotavit *lib. 47*, habet formam columnae: unde eius pronuntiatione videtur instar interpositae columnae oris labia sustinere, quod maximum huius sacri nominis virtutem non obscure praesert, quae tanta esse coecit, ut eius invocatio invocantis animam velut senam columnam ab hoste immobilem, et invincibilem reddere solet.

Quando Deus in Genesi voluit sobolem dare sterili Sarae, hanc litteram I eius nomini ademit, vocabatur enim Sara; ut periti autem linguae hebraeae tradant, littera haec, I, in nomine Sarae idem significabat, quod *mea*. Myserio ergo sane vacare non potest, quod littera I, quam Deus abstulit nomine Sarae, voluit in nomine Mariae prae omnibus aliis eius literis in pronuntiatione produci: illud ego subodoro mysterium, quod Sara addita I, significat *domina mea*, absque I vero *domina* tantum. Quia vero solam Virginem Dominus constituit reginam coeli, et terrae, tam angelorum, quam hominum, eique dedit potestatem dominandi a mari usque ad mare, et usque ad extremos fines orbis terrae, immo et super cardines coeli, ipsa sola est, quae per antonomasiam Domina ab omnibus vocari meretur. Ad significandam ergo amplissimam dilatationem huius Mariani domini litteram I, quam Deus Sarae nomini ademit, voluit in pronuntiatione nominis Mariae produci, non breviari.

Fuit praeterea sacrum hoc nomen Mariae a Gentilibus praecognitum, et praedictum: nam, ut constat ex 8. lib. oracul. sibylla Heritraea multa de Christo Domino praedicans ait:

Et brevis egressus Mariae de Virginis alvo,  
Exorta est nova lux.

Argonautae, ut refert Russinus (*in Corona B. Virg. lect. 23*), postquam cum Tassone, et Orphaeo civitatem Cyzico suo imperio subingassent, famosum illud templum, cuius meminit Plinius (*lib. 36*) tanto splendore, atque artificio construxerunt, ut omnes iuncturae lapidum solidissimis antri filis decorarentur. Consules autem Apollinis oraculum, cuiusnam illud tem-

plum consecrari deberet, responsum ab eo acceperunt, Mariae sacrandum fore: quod vaticinium postea Zenonis imperatoris, praedictum templum ab idolorum spurcicia purgatum, impletum fuit. Refert etiam Surlus (tomo 4. mense Julio) in vita d. Procopii martyris, inter argonatas quendam gentilem, quo spiritu afflatus, Deus novit, haec in modum epistolae in valvis templi scripsisse: *Ego tres cupio: Deum unum regnantem apud superos, eius verbum ab interitu alienum, conceptum in simplici virgine, qui tanquam ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens, eos adducet domum Patri; huius erit haec aedes: Maria autem erit nomen eius.* Eiusdem historiae meminit Cedrinus antiquissimus historiographus in haec carmina ex graeco in latinum translata:

Illius aeternum antequae saecula Verbum,  
Nescia Virgo viri quodam partu tenera edidit,  
Qui velut igniferis impulsa sagitta procellis,  
Edomitum reddet pro munere mundum.  
Huius, quam Mariae nomen inuenit, Alma  
Agnoscat templum propitium tibi rite dicatur.

Deinde Rabbi Accados, doctor gravissimus apud Hebraeos, quem et sanctum magistrum vocabantur, respondens petitioni Antonii consulis Romani, nullo retro tempore ante natale Christi Domini, postquam dixerat, Matrem Messiae nascituram esse ex stirpe Davidica, et ex patre Ioachim, futuramque esse orbis dominam, ac prophetarum magistrum, concludit, nomine Mariae fore insigendam. Ac tandem silentio non praeribit, inter reconditissima hebraeorum arana illud celeberrimum fuisse, unam apud Deum esse primam, ac perfectissimum omnium creaturarum, quam *Milatron*, id est, principem facierum, vocabant, qua voce Mariae nomen intelligi non obscure constat, tum ex supputatione numerorum, quam mysteriis pleam hebraei fatentur; Maria enim apud eos constituit numerum 209, vel, ut alii dicunt, 999, quem eundem reddunt ultimae literae nominis *Milatron*: tum quia propterea *Milatron*, id est, principem facierum illam vocabant, quia ante faciem imperatoris semper adstaret, et ins haberet introducendi alios ad praesentiam illius: quod proprium Mariae munus esse satis aperte fateatur Ecclesia catholica, deprecatum illam in celebri illo Cantico: *Salve Regina: Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende: nisi enim b. Virgo ius haberet divinitus ei datum introducendi fideles ad Filii sui praesentiam, minime eam deprecaretur Ecclesia, ut Filium suum nobis ostenderet.*

Porro antequam varia, quae in sacratissimo nomine *Mariae* sacramenta delitescent, aperire aggrediar, mira quaedam, quae in laudem illius sancti Patres edixere, in medium proferam. D. Petrus Chrisolog. (ser. 149) ait: *Nomen hoc prophetiae germanus est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitalis insigne, hoc pudicitiae decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis.* D. Bonaven. (in spec. Virg. c. 8): *Tu bene signata es per illam Ruth, de qua le-*

*gitur sic: sit exemplum virtutis in Ephrata, et habeat celebre nomen in Bethlehem, id est in ecclesia. O celeberrimum nomen Maria! quomodo possit nomen tuum non esse celebre, quod etiam devoto nominari non potest sine nominantis utilitate? testatur tuus Bernardus dicens: U magna, o pia, o multum laudabilis Maria. Tu, nec nominari poles, quin accendas, nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine dicimus insulae pae memoriae portas ingredi. Sapientissimus Idiota, ob eximiam eius humilitatem sic vocatus, ut refertur t. 3. bibl. SS. Patrum, ait: Dedit tibi, Maria, tota Trinitas nomen, ut in nomine tuo omne genus flectatur, hoc nomen super omnia sanctorum nomina, reficit lassos, sanat languidos, illuminat caecos, penetrat duros, ungit agonistas, rugam diaboli excutit; tanta virtutis est, et excellentiae, ut coelum rideat, terra laetetur, angeli congaudeant.* D. Bernardus (serm. super *Salve Regina*) haec in laudem Mariani nominis carmina scripsit:

In freta dum flavit current, dum montibus umbratae  
Lustrabant, convexa polus dum sydera pascat,  
Semper haec omnes, nomenque tuum, laudesque manebant.  
Spes mea, Virgo pia, Virgo sacra, Virgo Maria.

His adnecto alia non dissimilia, quae in Mariani nominis laudem eleganter scripti sapientissimus Alanus (super primum caput Canticae) ubi ait: *Cuius nomen praecinzatur mundus, nisi Virginis huius? Cuius laus celebratur in ore populi fidelis, nisi Virginis Mariae? Cuius virginitas nobis datur in speculum, nisi Virginis incorruptae? et elegantier fama, et gloria nominis eius oleo effuso comparatur: oleum esurientem refecit, aegrotantem sanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit: sic et in laude Virginis reficimur, exemplo eius ad virtutum medicamina invitamur, adversitatis fessis, eius patientia recreamur: vitae eius forma illustratur, nominis fama diffunditur; et non solum oleo, sed et oleo effuso nomen eius comparatur, quia sicut oleum effusum magis redollet, sic quanto magis nomen Virginis dilatatur, tanto magis gloria augetur.* Sed audiamus d. Bonaventuram, qui in speculo Virginis adnotat, in sacra Scriptura septies praecipue nominari beatam Virginem ad septem virtutes significandas, quae in illa valde clarescunt, septem vitii capitalibus e diametro oppositas: primo ostendit humilitatem contra superbiam (Luc. 1): *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini: pauperlatem contra avaritiam: Invenit Mariam, et Ioseph, et infantem positum in praesepe (Luc. 2): contra luxuriam virginitalitatem; Et nomen Virginis Mariae: contra invidiam charitatem, quam erga cognatum Elisabeth exercuit: *Evurgens Maria abit in montana (Luc. 1): contra gulam temperantiam: nam si Apostolus dixit (Heb. 13): Optimum est gratia stabilire cor, non esei, non potui haec virtus non mirifice in Virgine splendere, cui angelus dixit (Luc. 1): Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: contra iram mansuetudinem, et patientiam in laboribus: Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius (Ioan. 19), ac**

tandem contra accidiam sedulam diligentiam, et perseverantem famulatum (Aetor. 1): *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Iesu.* Sed neque beati Iordani singularem devotionem erga hoc sacratissimum nomen Mariae, cuius meminit Laurentius Maselli (de vita Virgin. lib. 1. cap. 11), silentio praerituro. Recitabat illi singulis diebus in honorem sacrerimi huius nominis quingentos Psalmos, quorum primae litterae nomen Mariae componebant: *Magnificat anima mea Dominum. Ad Dominum cum tribulaver. Retribue serco tuo. In convertendo Dominus. Ad te levavi animam meam: et ut refert Speculum exemplorum, evidentissimo miraculo demonstravit b. Virgo hoc devotionis genus sibi gratissimum esse; nam mortuo quodam alio, qui Psalmos illos recitaverat in honorem Mariani nominis, ex oculis, ex duabus nasi fenestris, et ex ore inventae fuerunt rosae quinque pullulantes; ad cuius stupendi portenti memoriam una ex illis rosis usque in hodiernum diem conservatur in Cistello, ut idem auctor, et alii commemorant. Haec sane, si vere Virgo Psalmos analores sumus, suadere debent, sacratissimum Mariae nomen frequenter in corde versari per meditationem, in ore per invocationem, in opere per imitationem. Aquilae quidem montis Tauri, ut auctor est Plinius (lib. 10. cap. 23), gruibus iter facientibus insidiant, ut devorent eas, quarum proximus adventus ex earum clamore illis innotescit; at grues, ut silere compellantur, ne ab aquilis earum clamor audiatur, singulae singulos lapides in ore deferunt: eadem etiam grus unguibus pedum lapidem apprehendunt, ut vigiles sint: apes depide lapillos semper portant, ne propter nimiam earum levitatem, cum volant, a vento hinc, illicque circumferantur: de ricio etiam marino ferunt naturales, in medio corpore lapidem superponere, ne a superbiebus fluctibus aquarum infestetur: non dissimiliter, si cupimus nos a rapacium aquilarum (daemonis intelligo), saevissima infestatione liberari, si desideramus a vento superbiae non concuti, si volumus maris huius saeculi fluctuantibus undis non submergi, oportet lapidem nominis Mariae, instar ricio marini, in medio cordis, instar grui in ore, instar apum in opere continuo gerere: unde sicut olim David cum virga, et quinque lapidibus gigantem Goliath expugnavit, sic fideles adhibentes sibi per invocationem beatam Virginem, virgam de radice Iesse, et quinque lapides, hoc est sacrosantum nomen Mariae, quod ex quinque literis constat, ipsis quidem, velut quinque limpidissimis lapidibus, hostes profligant.*

Ceterum iam tempus est, ut mysteria, quae in singulis literis, ex quibus nomen Mariae confatur, aperiamus, et quae in variis earum significationibus involuta sunt, diligenter evolavimus. Ne autem hoc genus argumenti ex literis Mariani nominis, et multiplex eius significatio desumptum quispiam impudenter despicere audeat, attendam quaeo verba divi Chrysostomi (homil. 15. sup. epistolam ad Romanos), ubi ait: *Magnus thesaurum in nudis nominibus multarum rerum historias, non modicum*

*denique philosophorum contineri: et ibidem super illa verba: Salutate vos Aquila, et Priscilla, docet, nomina et cognomina in sacris Scripturis diligenter excuti debere: et Eusebius Caesariensis de praeparatione evangelica docet, hebraeos exquisitam, et divinam quandam sapientiam in huiusmodi nominum expositione invenisse. Consonant his, quae docent Iriusconsulti; nam in l. 4. ff. de Iustitia, et Iure, legislator, inquit, iuri operam daturus prius nosse oportet, unde nomen iuris descendat, et in l. 1. §. appellata, ff. si certum petatur, dicitur, non leve argumentum esse desumptum ab ethymologia, et allusione vocabuli: unde videmus sanctos Patres diligentes fuisse in eorum interpretatione: divus namque Hieronymus librum conscripsit de nominibus hebraicis, et plures divus Isidorus (de nominum ethymologia). Immo, et Deus ipse, dum in veteri testamento nomina Abraham, et Sarae mutavit, illi unam litteram addens, hinc unam adimens, non modicum nominum rationem hebraicis monstravit. Et Christus Dominus in lege gratiae ad nomen Petri attendens dixit (Matth. 16): *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Hoc posito fundamento, mysteria, quae in literis Mariae nomen componentibus latent, reserare aggredior, reseraturus postea, quae in variis eius significationibus delitescent.*

Divus Antoninus (l. p. 61. l. 5. cap. 22. in fine §. 9) prae eximia eius devotione, quae erga beatam Virginem affectus erat, singulas litteras nominis Mariae contemplantur, iuxta hebraeorum alphabetum, ex quibus hoc nomen coale. Prima litera est m, quae apud Hebraeos dicitur mema: quae litera, quia ex parte inferius clausa est, nunquam invenitur apposta in principio dictionis, nisi in nomine *Maria*, ut clausuram virginitalis eius, quae sola Mater virgo fuit, significaret. Divus Ambrosius (super Ps. 118) ait, *Mom* significare *ex intimo*, vel, ut alii adnotant, *ignis ex intimo*; quod b. Virgili apte convenit, cum ex intimis eius visceribus ieratus ignis carnis materiam assumens visibili specie humano generi apparuerit. Secunda litera est a, quae hebraeorum nomine *aleph* dicitur, et iuxta divi Ambrosii sententiam (sup. Ps. 118) significat doctrinam: quod non obscure significat, beatam Virginem operari, et sermone non solum fidei veritatis doctrinam, sed totius sanctitatis magisterium. Tertia litera est r, quam hebraei vocant, *Reo*, et significat caput, vel primatum, quod et Virgini apte satis congruit, cum et virginum caput sit, et virginitalis primatum inter omnes habere noscatur: aliae virginis fecundae non fuerunt, sed steriles; at Maria fecundissima fuit, et virgo simul integerrima, gaudia matris habens cum virginitalis pudore. Quarta litera est i, quae apud Hebraeos minor est in figura, et dicitur *Jod*, et significat confessionem: litteram hanc quis non videat, quod minorem habit figuram, et confessionem significat, humilem confessionem beatae Virginis indicare, dum minimam se Dei ancillam esse fateatur, cum Matris Dei dignitas ei offerretur dicens (Luc. 1): *Ecce Ancilla Domini?* Et divus Ambrosius super illud, *Mamus tuae fecerunt me*, ait, litteram *Jod* si-

gnificare moestitiam, et dolorem; quod et beatae Virginis satis competit, cum Maria amaritudinem significet, quam animae Virginis intulit amarus passiois Christi calix, iuxta illud Simeonis (Luc. 2): *Tuum ipsius animam pertransibit gladius*. Tandem ultima litera a, nempe *aleph*, quam doctrinam diximus significare, ideo certe repetitur in nomine Mariae, quia cum ipsa non solum hominum, sed angelorum magistra fuerit, non solum homines, sed et angelos salutari sua doctrina imbuat: si enim inferiores angelis ab aliis illustrantur, immo, et ab Apostolis, Paulo id attestante (ad Ephes. 3): *ut innoscesat principibus, et potestatibus, in caelestibus, nihil mirum, quod superiores a beata Virgine illuminentur*.

Ad haec Leonardus de Ulino (*sermone de natiuitate*), per quinque literas huius sacri nominis Maria, quinque preciosos lapides intellegit, quibus Marianum diadema exornatur. *M* Margaritum designat, quia sicut illa vim habet confortandi cor, sic nomen Mariae in omnibus periculis cor stabilis, et trementi animae firmissimum refugium est, Ecclesia canentes: *Sub tuum praesidium confugiuis, sancta Dei Genitrix*. Literam a *adamantem* ait designare, quia sicut hic virtutem habet reconciliandi rixantes, et discordes, ita et beata Virgo reconciliat genus humanum Deo: *Facta sum coram eo pacem reperiens* (Cant. 8). Et sicut furor viri solet per mulierem mitigari, et temperari, sic ira Dei per beatissimam Virginem mitigata fuit, ne in homines furor eius exauderetur. Per litteram r intelligit *rubinum*, qui cum sit valde splendens, recte nomen Mariae refert, quae illuminatrix interpretatur, et cuius vita, ut in officio natiuitatis legitur, *cunctas illustrat ecclesias*. Vel dicamus, significare Mariam rubinum generasse, qui nascitur in visceribus sapphiri, hoc est, Christum genisse in suo coelesti, ac sapphirino ulero. Litera i *Isidem* denotat, quia sicut iste se gestantem impavidum reddit, ac intrepidum, sic Mariae patrociniū fideles munit, et adversus diabolū, cui ipsa est terribilis, ut castrorum acies ordinata, fortes, ac intrepidos facit. Ultimam vero litteram a *Alectorum* referre ait, qui hominem reddit bene fortunatum; quae autem excogitari potest alectorum fortuna, si ita fas est loqui, in vitam feliciter obtinere? quam tamen beata Mater a Filio suo nobis dandam pollicetur dicens (Ecles. 24): *Qui eliciant me, vitam aeternam habebunt*. Vel dicamus a *Amethystum* designare, cutus meminit Ioannes in Apocalypsi, de quo referunt naturales, inueniri terreo quodam velamine involutum mirabilem eius splendorem cooperientem; in quo egregie beatam Virginem obumbrat dicentem (Cant. 1): *Nigra sum, sed formosa: nigra quidem exterius secundum vulgarem existimationem, quia dum homines Filium habere me videbant, minime virginem esse putabant; at sub hac nigredine integritatem velantem, virginitalis venustas, ac pulchritudo latebat*.

Ad haec, per quinque has literas sacrosancti huius nominis Mariae quinque denotantur celeberrimae foeminae, quae typum eius gerere. Per *M* Michol designatur, per *A* Abigail,

per *R* Ruth, aut *Rebecca*, per *I* Iabel, vel *Isidith*, et per ultimam *A* Ana, vel *Abisag*. Haec autem omnes foeminae non solum Deiparam in se, sed eius virtutes mirifice adumbrant, fuit Michol pietate referta, quam David adeo adamavit, ut amicitiam cum Abner principe militiae populi Israel omnino recusaverit, nisi prius eam sibi praesentasset, ut d. 2. Regum legitur: non dissimiliter Mariam pietate insignem Filius Dei tanto amore est prosequutus, ut amicitiam cum humano genere per incarnationis vinculum inire noluerit, quousque Virgo haec nasceretur, et consensus sumo tanto mysterio praestaret. Fuit deinde Abigail, quae multis oblati muneribus necnon verbis humiliter ardentem Davidis iracundiam mitigavit, ac temperavit, ut 1. Regum sacra narrat historia: sic Deipara Maria, pro humani generis venia obtinenda, in quod Deus ira efferebat, obviam se illi fecit, variis virtutum monilibus ornata, necnon humilibus illis verbis (Luc. 1): *Fiat mihi secundum verbum tuum, quibus Altissimus mirum in modum placens, furor eius penitus exstinxit*. Deinde Rachel pulcherrima, quae Iosephum genuit, qui a Pharaone aegyptiaca lingua vocatus fuit salvator mundi: necnon Rebecca, quae Iacobum instruxit, eiusque manus pilosis pelibus obvolvit, odoriferamque vestem ei aptavit, ut patris benedictionem obtineret, Deiparam Mariam egregie adumbrant, quae et Salvatorem mundi genuit, et nos velut amantissima, et sapientissima Mater frequenter instruit, quia ratione benedictionem, et adoptionem filiorum Dei consequatur. Praeterea, quemadmodum Iudith summa castitate pollebat, eiusque mira virtute Holofernem capti, caput eius praecidit: sic Deipara merito suae virginitalis cum humilitate connectae, tortosi serpentis potentiam confregit, et caput contrivit. Ac postremo sicut Abisag Sunamitem tamquam omnium pulcherrimam, et elegantissimam super omnes filias Israel ad calefaciendum regem David in senectute sua nimia frigiditate algentem destinatum legitur (3. Reg. 1): non secus beata Virgo cunctas inter mundi foeminas pulcherrima electa fuit ad ministrandum Regi Christo coelesti (Ecles. 24): *Et in habitatione sancta coram ipso ministravi*; et ad calefaciendum illum in infantia sua; unde ipsa cecinit (Cant. 1): *Dilectus meus inter ubera mea commemorabitur*; quasi diceret: Dilectum meum amplexabor, pectori meo admovebo, ibique vitali cordis mei calore eum fovere, et uberum meorum lacte nutrire non desinam.

Ad extremum, ne Mariani nominis apicem ultimum praeripere videar, quem in honorem tantae Virginis non referam, observandum censi, consulo divinam Sapientiam ex illis literis nomen Matris suae conflare voluisse, quibus olim maior honor delatus fuerat, et quas antiqui maiori cultu celebrarunt. Pierius refert (lib. 42), illustrissimum Missaenos solites fuisse in scutis suis litteram hanc m sculptare, significare volentes, quod sicut partes huius litterae desuper uniuersum, et copulantur in una, et suo corpus reipublicae unitum esse debet cum ita corpus reipublicae unitum esse debet cum suo capite: nec desunt, qui propter eandem rationem, eandem mysterium Trinitatis adumbrare dicant; sicut

enim in hac litera tres lineae per unam superiorem uniuersum, quae communis est illis, ita et tres divinae Personae in unitate essentiae, illis, communis conveniunt. Quamvis autem, ut tradit idem auctor, littera m stultitiae symbolum quondam fuit, cum inter sortes, quae iaciebantur, alicui illa contingebat, postea tamen, cum in sortem cecidisset magno imperatori Dionysio, ipseque dixisset, futura eius opera mendacem illum sortem fore attestanda, quod et postea eventus probavit, coepit inde in maiorem honorem haberi littera m. De secunda, et tertia litera a, et r, Petrus Crinitus refert (lib. de honesta disciplina), quod si quis a iudicibus damnatus erat, littera r denotabatur; si erat absolutus, a apponebatur. Insuper etiam de littera r d. Hieronymus (epist. ad Rufinum) ait, quod Demosthenes, quamvis adeo studio deditus fuerit, ut plus olei in lucerna consumperit, quam vini in vase biberit, difficillime tamen litteram r pronuntiavit; testaturque idem Hieronymus, illam a canibus pronuciare didicisse, qui cum inter se latrantes rixantur, illam recte pronuntiant. De littera deinde quarta i, cuius meminit idem divus Hieronymus (epistola ad Laetam tom. 1), et quae a Virgilio magno opere celebratur, symbolum fuit aduldae aetatis, ut Scholiastes annotat super praedictam partem Hieronymi epistolam, quia aetas illa est velut bivium, in quo positus viator dexteram tenere, vel ad sinistram deviare potest; sed oportet, ut rectam viam eligat per rectitudinem huius litterae i significatam. Ultima tandem est a, quae Christum Dominum significat, qui de seipso dixit (Apoec. 1): *Ego sum alpha*; unde iuxta haec sacrosancti Mariae Virginis nomen clauditur duabus literis, quarum prima, scilicet m, symbolum sanctissimae Trinitatis, ultima vero Christus typus est. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VII.

*Excellentiam sacrosancti nominis Mariae ex interpretatione amari maris, et maris stellae, duplicem metaphoram, multiplici eruditione prosequamur.*

Quemadmodum Deus, ut auctor naturae, id commemorante Moysse, congregationem aquarum vocavit maria; non secus, ut auctor gratiae, virtutum, et coelestium charismatum aggregationem, quae in beata Virgine emicuerunt, sapienter appellavit Maria, ut interpretatur divus Hieronymus (de nom. hebraica), sanctus Bonaventura (*in speculo B. F.*) et alii permulti in illa verba: *Et nomen Virginis Maria: unde eleganter s. Petrus Chrisologus (serm. centesimo quadragesimo sexto) vocavit Mariae nomen Collegium sanctitatis*, eo quod universae sanctitatis dotes ad Mariam, instar aquarum ad mare, confluiscent. Verba Petri Chrisologi sunt (Gen. 1): *Congregationes aquarum appellavit Maria: nomen hoc renascentibus salutare, hoc virginitalis insigne, hoc pudicitiae decus, hoc collegium sanctitatis*. Persimilem dicendi phrasim usurpavit Petrus Damianus (*sermone de Assum-*

*ptione Virginis*), omnium virtutum conventum in Virgine sibi thalamum consecrasset docet: *Uniuersus, ait, orbis pigmentarius in Virgine proiectus est, quando in ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit*: alque ob haec causam credere beatam Virginem appellatam fuisse a Ioanne Damasceno (*oratione prima de Assumptione*) abyssum gratiae: quibus omnibus consonant, quae seraphicus noster Bonaventura (*in speculo Virginis*) dixit: *Scriptum est: Omnia flumina intrant in mare: flumina sunt charismata Spiritus sancti; unde Ioannes dixit (cap. 7): Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vitae: hoc autem dixit de Spiritu, ut nomen accipiunt erant credentes in eum*. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia charismata sanctorum intrant in Mariam; flumen gratiae angelorum intrat in Mariam, et flumen gratiae patriarcharum, et prophetarum, et flumen gratiae apostolorum intrat in Mariam, et flumen gratiae martyrum intrat in Mariam, et flumen gratiae confessorum intrat in Mariam, et flumen gratiae virginum intrat in Mariam; omnia flumina intrant in mare, id est, omnes gratiae intrant in Mariam. Unde ipsa optime dicere potest illud Ecclesiastici (cap. 24): *In me gratia omnis vitae, et veritatis, et in me omnis spes vitae, et virtutis: quod si haec luculentis, ac distinctis desideres, cuncta, quae divina largitas munera tam spiritibus angelicis, quam hominibus impertivit, in hoc Mariano mare coherunt, iuxta illud Ecclesiastici (cap. 40): Et omnes aquae in mare revertentur in hoc eum mysticum mare intrat chernubim sapientia profundissima, intrat mirabilis principatum auctoritas, intrat latissimum dominionum dominium, intrat portentosa miracula faciendi virtutum stupenda facultas, intrat variis provincis praesidenti archangelorum dignitas excelsa: ac tandem intrat in pretopendis fidelibus sollicita angelorum custodia. Quid de his, quae in hominibus effulgent, commemorabo? in Mariam intrat fides patriarcharum, limpida prophetarum cognitio, apostolorum magistratum, patientia martyrum, integritas virginum, fecunditas coniugatorum, tolerantia confessorum: ac tandem, sicut in supremo ordine hierarchico, et in ecclesiasticis ordinibus, quae sunt divina in inferioribus, eminentius conuicta reperiantur in superioribus; ita divina munera, quae tam angelis, quam hominibus Dei liberalitas donavit, eiusdem magnificentia omnia simul, et alia multo excellentiora, ut Matrem Dei decebat, in beata Virgine contulit. Quod si adhuc profundius contempleris maris nomenclaturam, per omnia Virgini congruere reperiemus; sicut enim maris guttae a solo Deo numerari possunt, Ecclesiastico dicente (Ecles. 1): *Arenam maris, et guttas pluviae quis dinumerabit?* quasi dicat; nemo, nisi solus Deus, ita praclaras dotes, ac divinum charismatum multitudinem, quae in Mariam confluerent, sola Dei arithmetica enumerare valet; et sicut mare adeo amarum est, ut neque una eius gutta dulcedine non careat, ita beata Virgo propter Christum Domini passionem doloris amaritudine repleta fuit: unde Ierem. (Thren. 2): *Magna est velut mare contritio tua: et Ruth (c. 1), quae Vir-**